

PROPOSITIO.
DATUR DEUS.
DEMONSTRATIO.

Cum enim quisque nostrum, unà cum reliquis mundi rebus simul, totusq; adeò mundus, unà vice post alteram existat, per Observ. 2. & 3. ita quidem, ut vices priores non amplius sint, quando vices posteriores sunt, per Observ. 1. h. e. ut quævis res in mundo tota, quoad priorem Essentiam sui totam, non sit, quando denuò, seu quoad posteriorem Essentiam sui totam, est, per Def. 1. & 2. & 3. Ax. 1. Ipsa verò rei cuiusq; præter Deum Essentia prior, dum ita non est, semetipsam, ut denuò sit, (h. e. posteriorem Essentiam (rei) facere nequeat, per Ax. 2. oportebit Esse DEUM, per Def. 4. & Ax. 3. & 4. Q. E. D.

COROLLARIA.

Coroll. 1. DEUS est *omnipotens*: & conseqv. *omnipræsens*, *omniscius*, & *Sapientia summa*, Omnia namque, quæ sunt, ipse facit, quodvis coram. Ergò *venerandus*.

Coroll. 2. DEUS est *Unus* sine pluralitate realiter divisivâ. Quia divisivæ pluralitatis unum non est alterum quoad Essentiam, & sic ipsa *non esse*, saltem ex parte respectu partis, sustinet, cum tamen DEUS à *Non esse* totaliter sit immunis, per Ax. 4. Ergò *solus adorandus*.

Coroll. 3. DEUS est *Liberrimus*, at *verax*, *justus*, & *vindex* *injusti*. Confer Obs. 3. & Def. 4. Ergò *timendus*.

Coroll. 4. DEUS est summè *Perfectus*: h. e. *infiniæ perfectionis*. *Optimus*, *summum Bonum*, *Rector universi* *beneficus*. Ergò *amandus*.

Tibi Semel - Une DEUS in Essentiâ, Trin - Une tamen, in Personis, Pater, Fili, Spiritus S. sit gloria, laus, & honor in æternum.

Exim-